

3077

LITURGICI

3078

In Septuagesima duplex. *Cantemus cuncti melodum nunc alleluia &c. Et: Alleluia piis edite laudibus Cives etherei psallite suaviter aevia (alleluia) perenne &c. Fol. 155. p. 2. Dominica IV. Quadrag. Hymnus idem, qui supra de Cathedrala S. Petri. Fol. 159. p. 2. In Pascha. Chorus noue Hierusalem nouam meli dulcedinem &c. Fol. 161. In ascensione. *Astra polorum super ascendit &c. Fol. 163. In natali Joh. Bapt. Almi Propete Progenies pia clarus parente nobilior patre &c. Fol. 165. De S. Udalrico. Mire Plasinator Seculi qui cuncta formans nibili &c. ibid. S. Willibaldi. Mare fons ostium atque terrarum deus &c. Pag. 2. In Nat. S. Jacobi Apost. Huius diei gloria det Christe mundo gaudia &c. Fol. 166. In eod. *Bella qui carnis noua pertulistis regis eterni stabiles amici &c. Fol. 167. p. 2. In Decollat. S. Joh. Bapt. Assertor equi non ope regia nec morte dura linquere tramitem &c. Ibid. In Nativ. S. Mariae. *O sancta mundi domina Regina celi inclita &c. Fol. 168. In ead. *Gaude uisceribus mater in intimis. Felix ecclesia quae sacra replicas &c. Pag. 2. In Nat. S. Mauritii et Socior. *Alma Christi quando fides mundo passim traditur &c. Fol. 170. In Nat. S. Galli. *Vita Sanctorum via spes salusque. Christe largitor probitatis atque &c. Pag. 2. In Festiv. Omnium Sanctorum. *Christe qui Uirtus Sator et vocaris. cuius ornatur pietate quidquid &c. Fol. 172. In Nat. S. Martini duplex. *Rex Christe Martini de-*********

*cus Hic laus tua tu illius &c. Et: Martine par Apostolis Festum colentes tu foue &c. Pag. 2. In Nat. S. Andreae. *Laus Angelorum inclita. Spes conditorum unica &c. Fol. 173. In Dedicat. Eccl. *Christe celorum habitator alme haec domus fulget sub honore cuius &c. Fol. 174. p. 2. De S. Apostolis. *Andrea pie Sanctorum mitissime obtine nostris erratibus ueniam &c. Fol. 177. p. 2. In Nat. unius Confessoris. *Hic est verus Christicola Apostolorum assecla &c. Possibile est, Hymnos hos Casfandro maximam partem visos, sed, quod elumbes et solutiores putaret, neglectos; sunt tamen inter eos, qui medicam manum benigne ferrent. Illud addo, non recte legisse Virum doctum in Prudentiano de Innocentibus Hymno p. 206. *Mox omnis infans occidat. Codex noster cum melioribus Editt. reponit: *Mas omnis &c.*******

IV. fol. 178. *Cantica in Dominicis diebus. Loca sunt e sacris Literis depromta, nec pro Dominicis modo, sed pro praecipuis per annum Festis, quae, cur Cantica adpellentur, vel quis eorum in Liturgia usus fuerit, non inuenio. Canticum I. constat loco Ijaiae a v. 2. C. XXXIII. ad v. 11. Canticum II. a v. 13. ad v. 18. &c.*

DCCCLI.

Codex membraneus lat. Sec. 714
XIV. Folior. 68. 4. nigro rubroque varius est Ordo celebrandi
divi-

divinum Chori Officium tam de Tempore, quam de Sanctis per totum annum, a I. *Adventus* Dominica initium ducens, cujusmodi nunc *Diretoria* adpellantur. In usum Monasterii cujusdam descriptum fuisse, suadet Rubrica ad secundas Vesperas D. *Jobannis* Apost. et Evang. ubi legas fol. 11. p. 2. *Et illud cantando descendunt de choro in monasterium &c.* Monasterium istud in Italia quaerendum videri posset ex alia Rubrica fol. 53. p. 2. ubi, postquam de ordinando Officio Romanorum Pontiff. Martyrum actum est, sequitur: *Idem quoque fit de Ravennensibus episcopis. scilicet apollinari et aliis.* Verum quid ad *Italiam* Rubrica Dom. II. *Adventus* fol. 20. p. 2. Notandum etiam est, quod in choro *Spirensi* mos est cantare de *sancta maria in sabbato &c.* Malo itaque *Germaniam* cogitare motus primum *Ravennensibus*, quod ab *Italo* Librario pro *Ravennensibus* vix expectaveris, dein alia Rubrica, quae fol. 23. p. 2. ad diem XXII. *Jan.* ita decurrit: *Oratio de sancto anastasio. quamcumque uolueris de uno martire. postea orationem de sancto uicencio* Adesto quae. domine. sub una conclusione. *Illa autem de sancto anastasio prius dicetur quia capud eius in choro nostro habetur.* Notat *Bollandus* in *Aetis Anastasii Persae* Mart. ad diem praeditam T. II. *Jan.* p. 425. In *Breviario Spirensi* referuntur de *S. Anastasio*, qui ibidem *S. Vincencio* praepositus, tres primae lectiones. En igitur Monasterium no-

strum verisimiliter in Dioecesi *Spirensi* situm. At quodnam Dioeceseos hujus Monasterium *S. Anastasii* Caput possedit? Tempore Synodi *Nicaenae* II. a. 787. *Romae* illud servatum fuisse Aetia Synodi illius apud *Bolland.* cit. p. 422. testantur. Locum adsignant Scriptores posteriores Ecclesiam *S. Mariae ad Aquas Salvias*, quae, ut habet *Viscii Chronologia Monasterior. Ord. Cisterc.* p. 366. circa an. 1140. huic Ordini adtributa est. Si *Petr. Beckium* in *Aquisgrano.* C. IX. p. 171. audiamus, ostenditur ibidem inter sacra *Λειψανα* Populo Caput *S. Anastasii*; si vero *Lambertum Schafnaburg.* in *Annalib.* jam illud *Henricus IV.* a. 1072. cum aliis Reliquiis *Aquisgrano* in *Hartenburg* sive *Herzycynoburgum* transtulit, quo ab *Saxonibus* a. 1074. diruto, ut idem narrat, *Reliquias sanctorum, quae effractis altaribus erutae fuerant* — abbas ex vicino coenobio opportune superveniens furenti vulgo eripuit, atque in suum monasterium cum honore transvexit. Has inter Reliquias, vix dubium est, etiam *Anastasii* Caput comprehendi. Opportunum igitur fuisset, si vicini illius Coenobii nomen *Lambertus* edidisset. Testatur quidem *Chronicon Goslariense* T. II. *Scriptt. Brunsvic. Leibnit.* p. 535. fuisse *Hartenburgi* Monasterium *S. Valerii*, sed addit jam ab *Henrico III.* post an. 1040. *Goslariam* traditum fuisse. Verum haec ab instituto longius abducunt, neque tanti sunt, cum, ut saepe alias, ita et circa Caput hoc pia credulitas im-

3081

LITURGICI.

3082

imponere sibi potuerit, aut negotium fit de alterius *Anastasi Capite*, quorum plures in SS. Catalogis recensentur.

DCCCLII.

842 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 282. 8. minute exaratus, rubricisque distinctus sacrum Chori Officium vulgo *Breviarium* continet. Praeit *Calendarium* versibus *δαιρητικοις* ornatum, in quo ad V. *Id. Mart.* minio *Claues pasche*, ad XVI. *Kal. Maj.* vero *Claues rogacionum* adscriptum est. Eodem colore notatur III. *Kal. Oßobr. Wencezslay martiris*, unde Codex *Bobemiae* accenseri potest. Distributus est ita, ut praecedat Officium Feriale, sequantur Festa Domini per anni decursum, et Festa Sanctorum eodem decursu concludant.

DCCCLIII.

422 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 404. 4. per duas columnas scriptus, passimque picturis auro et colore variis ornatus *Psalmodiam* sacram, sive *Horas*, quas vocamus, *Canonicas* complectitur, praemisso *Calendario*, in quo Officia Duplicia, *Triplicia*, et numerus *Lectio*num cuiusvis Officii notantur. Cum *Stanislai M.* Festum VIII. *Id. Maj.* inter *Triplicia* numeretur, alicubi in *Polonia* scriptum arbitror, idque vel anno 1407. vel 1418. vel 1429. hisce enim annis *Resurrectio Domini* sive *Pascha* in *Denis Codd. Theol. V. I. P. III.*

VI. Kal. Apr. seu 27. *Martii* incidit, cui diei in *Calendario* nostro adsignatur. Ipse porro Codex hoc ordine decurrit: Officium *Dominicale* et *Feriale*, in quo singulis *Psalmis* breve argumentum praefixum est, *Litaniae* de *OO. SS. Vigiliae Mortuorum*, *Hymnarium*, *Antiphonarium* et *Lectio*narium pro totius *Anni* *Dominicis*, *Idem* de *Festis SS. propriis*, deque eorum, ut dici solet, *Communi*.

DCCCLIV.

Codex membraneus lat. Sec. 424 XV. Folior. 471. 4. per duas columnas exaratus, literisque *Initiorum* picturatis *Horarum* *Canonicarum* *Liber* est, sive *Breviarium*, quod praemisso *Calendario* incipit a *Psalmodia* diurna, adnexo *Hymnario* et officio pro *Mortuis*, dein sequenti gaudet titulo *miniato*: *Incipit Ordo sive liber Matutinalis de Ecclesiasticis obseruacionibus quid legendum sit et eciam cantandum per Circulum anni secundum Patauiensem Ecclesiam*. Atque ita ducto ab *Adventu* *Domini* initio *Officia* *Dominicarum*, *Feriarum*, *Festorum* *Domini* et *Sanctorum* permixta in orbem decurrunt, adjecto in fine *Officio* *communi* de *Sanctis*. *Fol.* 296. p. 2. subscriptum legas: *Deo gracias. Thomas baidenlaber.* Item *fol.* 459. p. 2. *O lieber got lieber got. M. Secretum meum michi. I M I.* Quod *Secretum* sibi bona pace nostra habeat.

O O

DCCCLV.